



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Calvinus relicto Pictavio, in Aquitaniam ad Rufum & Ferrium proficiscitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Præterea si adoratio hæc facta sit cū omnibus conditionibus ac circumstantiis quæ actionem moraliter bonam, laudabilem ac meritoriam faciunt, quales sunt, locus, tempus, modus, ignorantia illa coram Deo & hominibus excusari potest, ut quæ facta sit secundum Ecclesiæ intentionem, quæ est, Christi corpus non aliter quam consecratum adorare. Hinc Theologi ad probandam omnium humanarum actionum tam bonitatem quàm validitatem, hanc regulam tamquam certum axioma tradunt: Omnes scilicet humanas actiones in materiâ debitam, aptam & convenientem, tempore ac loco opportunis incidentes, eaque forma ac modo quo par est exercitas, moraliter bonas esse ac vitio carere. Ut exempli gratia, recte dicimus, suam non alienam, ac licitis, non prohibitis diebus, messem demerere; & eleemosynam de suo, non de alieno, & ex charitate, non ex hypocrisis dare; in uno gradu nuptias contrahere, in alio abstinere; & si qua alia sunt ejusmodi, actiones bonas esse & laudabiles. Sic actio illa populi voluntaria, hostiam non consecratam quam tamen consecratam esse simpliciter credit, adorantis ac recipientis, bona est, in debitam ac requisitam materiam incidens, si non ex se, saltem ex eo quod humana potest apprehendere sapientia: quum hostia illa ceteris consecratis similis sit, & à sacerdote legitime ordinato in Catholica Ecclesia hora ordinario servitio seu sacrificio deputata, super altari consecrato, cum ornamentis gestibus, aliisque externis quibus Ecclesia in ea re uti solet ceremoniis, tractetur atque administretur. Quare actio hæc ex bona fide profecta, vitio atque errore caret, neque pro idololatria haberi potest.

VI. Idololatria verò, si qua hic est: materialis, est ut Theologi nostri loquuntur, non formalis, id est, in se quidem idololatria est, quum purus panis & vinum pro Christi corpore ac sanguine adoreretur; sed non in decepti populi intentione, qui pro suæ adorationis objecto corpus & sanguinem Christi habet, & neque hostiam quam sacerdos manibus tenet sine tacita illa & implicita conditione adorat, scilicet eorum illud tam grande mysterium ex Iesu Christi præscripto Ecclesiæque usurpata consuetudine peragendum esse. Neque est ut quis existimet, defectum hunc consecrationis à Deo occulta quadam & divina virtute suppleri: quum ut id credamus, nulla Dei promissio, neque ulla alia consecrandi formula quam quæ sacris illis ab ipso Christo prolatis verbis continetur, extet: quæ quidem verba in Sacramentis id efficiunt atque operantur quod

significant, ex ore legitimum ac rite ordinatorum sacerdotum prolata. Ex quibus sequitur, nullam hic esse consecrationem, neque ejus defectum à Deo suppleri; qui tamen fidelium actionem natura sua vitiosam supplet, & intentionem probat, sacrificii ac Sacramenti effectus ad mensuram devotionis cuique applicans. Sed jam trium illorum, Galliarum nostrarum Reformatorum vestigia prosequamur, quibus apostatae illi ac desultorii Clerici aliquantulum nos abduxerunt.

QUOMODO CALVINUS GENEVAM SE
contulerit, quæque ibidem fecerit ac
gesserit.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

ARGUMENTVM.

- I. Calvinus relicto Pictavio, in Aquitaniam ad Rufum & Fabrum proficiscitur.
- II. Gulielmus Favellus primus apud Genevates rebellionis auctor.
- III. Calvinus de hinc inde vagatus, Genevam conce-
dit.
- IV. Tre videm Apostoli eodem ad Calvinum proficiscuntur.
- V. Calvinus rebus novis studens, Geneva ejectus.
- VI. Ratisbonam abit ad comitia imperii.

I. **D**VM duo illi præcursores, Bonus homo & Ramastator sive Confarcinator, hæresi viam sternunt, & velut signo Scripturæ ex arce ostēdo, classicum contra Ecclesiam canunt, ac homines passim in Gallia, Religiosos præsertim utriusque sexus ad pileum vocant, suæque cōspirationi quâ plurimos ab antiqua Catholica simplicitate ac pietate abstractos, innectunt: Calvinus ne Pictavii, re jam quam agitabat in apertum erumpente, comprehenderetur veritus, hospitis consiliū sequitur, & Neracum ad Rufum & Fabrum, de quibus supra, proficiscitur, ut unâ cum eis sub Margaritæ Navarræ reginæ præsidio lateret. Ait Beza, bonum illum senem, de Fabro loquens, Calvinum grato ac læto animo excepisse, quasi præfagientem ab hoc Ecclesiam in Gallias restauratum iri. Illud vero non dicit, Rufum à Calvino visitatum tamquam dominum à servo, quamvis non ignoraret eundem dum per Germaniam oberrat, Calvinum ministerio usum fuisse, quod cum narrantem plures à Rufo in literis

educati, non semel audiverunt. Ibi Calvinus Rufus scripta sua comunicavit, præsertim Institutiones Christianæ religionis, Enculismi conceptas atque inchoatas; simulque Ecclesiæ in pristinam puritatem restituendæ propositum ei aperuit, inquit, nihil omnino sani in Catholica superesse Ecclesia, sed vetus illud ædificium planissime esse deiciendum, ac novum instruendum. Rufus vehementer admiratus, ut ipse postea sæpe dixit, tantam tamque fenilem malitiam in animum juvenilem cadere posse, hominem ad rationem reducere conabatur, inquit, Necessarium quidem esse ut domus Dei purgetur, verum eam non destruendam, sed fulcendam esse potius: quod nisi fiat, tamen ipsum quæ quoscunque alios qui hæc in re aliquid tentarint, ejusdem ruinis oppressum ac sepultum iri. Vidi ego schedas Rufi manu scriptas, quibus suam de Cœna sententiam exponit, longè à Calvinii opinione discrepantem: quas quidem schedas Medicus nostræ Aquitanix non incelebris, Clericæ civis patria, Rufi sumptibus puer in scholis educatus Francisco Cædali Episcopo quondam Atrensi communicavit. Hac inter dominum & famulum contentione effectum est, ut Calvinus Rufum Temporifatoris, id est, hominis inconstantis, & consilia sua temporibus accommodantis nomine traduxerit, ac librum etiam *Des Temporifatus*, Gallica lingua conscripserit, in quo dominum præcipue venenato dente impetit. Faber quamvis in Calvinii sententiam magis quam Rufus inclinaret, hominem tamen quantum poterat retinebat, metuens ne præferendum hoc ingenium omnia misceret atque everteret, eoque discedenti consulebat, ut Melanchthonis tam opiniones quam exemplum in omnibus sequeretur. His instructus consiliis Calvinus Lutetiam profectus est, sed parum tutum ibi se videns, & à rogo sibi metuens, jam tum patriæ excidium meditans, Gallia excessit, quæ ingrata scilicet, uti conqueri postea solebat, tanto homini domicilium denegare sustinebat. Argentoratum ergo profectus totum biennium Bucero operam dedit, hunc unum aptissimum perturbandi Ecclesiam instrumentum sibi fore, recte judicanti. Scripserat tum inter alia Bucerus librum *De carne Christi*: cujus similem nec à Lutero nec à Zuinglio scriptum ajunt. Hunc cupide legit Calvinus, simulque Bucero Institutiones suas comunicavit, quas ibi ac Basileæ tandem ad umbilicum ductas, Francisco I. Galliarum Regi dedicare non dubitavit.

Quemadmodum vero Lutherus laudi ac gloriæ

sibi ducebat, quod Evangelium ab ipso prolatum multarum turbarum ac seditionum causa esse diceretur, adeoque lætitia exultabat si populos ad mutuam laniationem videret inter se commissos; sic Calvinus ut & ipse quo Spiritu regeretur, testatum faceret, pro symbolo primæ Institutionum editioni præscripserat gladium undique flammis circumdatum, cum his verbis: *Non veni pacem mittere, sed gladium*. In quo nescias utrum horum uterque magis in vaticiniis suis verus, quam in suis ipsorum opinionibus vanus fuerit. Dum Argentorati desideret Calvinus id primum operam dabat, ut eos qui pœnæ metu à Galliis profugerant, consilio & auxilio juvaret deinde ubi in honore aliquo & hominum existimatione se esse vidit, omnibus quæ in tota Germania gererentur negotiis immiscere se studebat. Vbi vero accepit, Ferrariæ Ducissam, è regio Gallorum sanguine ortam, veræ religionis (ita enim loquebantur) aliquem habere gustum, ad eam se contulit, omnibusque modis suasit, ut Romanæ Ecclesiæ valediceret, non tamen à Lutero præmonstratam quidem, sed nondum perpurgatam semitam, sed quam ipse à Deo singulariter ad id vocatus, totam jam complanaturus esset, ingrederetur. Hac de re etiã in secretiori Ducissæ cubiculo sermones aliquot habuit, Pontis toparcha inter alios præsentante: nec exiguam pecuniæ summam corrasit, plerisque ad præfæc illius scilicet Ecclesiæ exemplum honorum suorum partem ad novi hujus Apostoli pedes deponentibus, quæ ille deinde inter exules ac proscriptos Gallos dividebat: infirmulatus tamen postea, quod in distribuendis quatuor librarum millibus, quas Margarita Navarra regina Genevensi Ecclesiæ elemosynæ nomine miserat, mala fide versatus esset.

Vagationis periculus Calvinus Genevam se contulit, ubi jam antea dum cum Tilio oberrat, in quorundam notitiam se insinuarat. Ea civitas tum Sabaudix Duci rebellare incipiebat, Gulielmo Farello seditionis conatus accendente ac fovente. Hic ille est cujus supra libro III. mentionem feci, è Meldorum civitate profugus, Iudæi filius, cui Ferreanum nativum nomen: homo in disputationibus atque omni sermone quovis torrente vehementior, ut qui è cathedra in illarum Periculis alicujus, fulminaret. Hic præcipuus auctor fuit mutationis quæ tum & postea Genevæ facta est, quod Basilea ejectus se contulerat. Calendarium Historicum à Lohanne Gregorio & Iacobo Stoer Anno M. D. LXXIX. impressum testatur, Anno M. D. XXXV. die XV. Augusti,